



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11321



CANONICORVM
REGVLARIVM
 ORD. S. AVGVSTINI
 ORIGINES AC
 PROGRESSVS.

C A P V T I.



QVATVOR ferè primariae, vt vocant, Regulæ monasticæ, seu cœnobiticæ, Diuorū scilicet BASILII, AVGVSTINI, BENEDICTI & FRANCISCI recensentur. Ex harum præscripto omnes pœnè religiosorum hominum cœtus sic vitam instituunt, vt singuli aliquam præ ceteris maximè amplectantur atque æmulentur.

S. BASILIVS Magnus cognomento, nobilis Cappadox, Athenis vnà cum Gregorio Nazianzeno sacris ac profanis litteris eruditus, Cæsareæ in Ponto Episcopus, *primus duriores illum veterum monachorum ritum ad meliorem normam, magisq; religioni congruentem, redegit.* Qua de re multa qui volet, ipsum Basilium, Gregorium item Nazianzenū, Volaterra-

A

terra-

terranum, Antonium, Baronium, Hier. Platum, aliosque consulat.

Porrò ordinis S. Basilij monachi hodieq; plurimi in Græcia, AËgypto, Syria, alijsque Turcici Imperij prouincijs viuunt, nigra veste talari honestè induti, & cucullis capita velati.

Atque hæc quidem & alia vetustissima monasticæ vitæ monumenta, Deo disponente, iurati Christianæ religionis hostes tolerant, cum ad Orthodoxos in auita fide continendos, tum ad impios Nouatores, qui monasticen cane peius & angue oderunt, confundendos ac iugulandos. Obijt autem Sanctus Basilius anno Christi trecentesimo septuagesimo octauo.

S. Augustinus Episcopus Hipponensis in Africa, obiit anno ætatis suæ septuagesimo sexto, teste Possidio in eius vita, anno autem Christi 433. vt Prosper in Chronico testatur. vel anno 430. vt tradit Baronius in Annalibus de eius vita, deque ordinibus, sub Augustiniana Regula militantibus, nos plura dicemus capitibus proximè sequentibus.

S. Benedictus anno Christi quingentesimo vigesimo sexto, monachorum in Occidente pater, dispersos Monachos in monte Cassino congregauit, & certam viuendi regulam præscripsit, sub qua diuersæ hodie Religiosorum hominum familiæ militant. In
his

his sunt inprimis ij, qui nigra vtentes veste, Benedictinorum nomen retinent, item Cluniacenses, Camaldulenses Vallis-Vmbrenses, Mont'Oliuetenses, Grandimontenses, Cistertienses, Syluestrenses, Humiliati, Cœlestini, Eremitæ D. Hieronymi per Martinum V. Pont. Max. in familiam Benedictinam adsciti, & alij. De quibus vide Origines nostros Benedictinos.

Sanctus Franciscus, natione Italus, patriâ Assisias, ordinem fratrum Minorum instituit ab Honorio III. Pontif. Max. comprobatum. Utuntur ij tunica vna natiui velleris & funiculo præcinguntur, suntque distincti, in Observantes & Conuentuales. Eiusdem Sancti Francisci signa sequuntur Capuccini, Amadeani, Recollecti Clarissæ moniales, & alij Religiosi cœtus reformati; migravit autem ex hac vita Sanctus Franciscus anno Christi 1226. à Gregorio IX. in Diuos relatus anno millesimo ducentesimo vigesimo octauo.

CAPVT II.

VITAE SANCTI AVGVSTINI
ni series.

ANNO à partu Virginis 354. Idibus No- ANNO
uembriis Sanctus AVGVSTINVS 354.
natus est Tagastæ in Africa, haud longè à

A 2

Car-